



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

6. Saxona.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

tionem commutati nominis affert. Hassi autem Widekindo sunt *Hassigani*, Aimonio *Assi*, Saxonum contermini, Adamo Bremensi *Hassones*. Nunc *Hessos* appellamus. Reinerus Reineccius. in notis ad Poëtam Anonym. lib. 1. pag. 9.

4. PARVIT IMPERIO CAROLI. Ita Regino lib. 2. Chron. ad An. 776. *Ex predicto igitur loco (Eresburgo) cum tanta confusione discedentes (Saxones) venerunt ad aliud castrum, quod appellatur Desuburgh, ubi voluerunt similiter facere, sed Deo auxiliante, Francisque eis viriliter repugnantibus, nihil prevaluerunt. Oppidani vero persecuti sunt eos usque ad flumen, quod Lippa dicitur, & multos ex eis interfecerunt.* Haëtenus ille. Desuburgh verò idem esse quod Desenberg ostendit Fabricius. lib. 2. orig. Saxonicarum. *Saxones jugi Francici impatientes & fœderis immemores, ducum suorum levitate, ipso absente (Carolo M.) rursus tumultuantur, arcem Heresburgum obsident, & Francis astute deditioem conantur persuadere, proposita incolumitate & premijs; suspectam habentes Franci Saxonum fidem, id facere detrectant, nec viribus de praesidio deijci possunt, &c. Tentantes deinceps (Saxones) castrum Desenburgum in monte altissimo situm, & Hassia finitimum, nihilo feliciter id oppugnant: Nam erumpentes Franci è praesidio, eos ad fluvium usque Luppam insequuntur; nec paucos intercipiunt & obruncant. Et lib. 4. Idem cum tentarent ad arcem Disenburgiam, etiam cum dedecore & clade suorum rejecti, & fugati usque ad Lippam fluvium sunt.*

5. FRANCUS ADEGIT. De Francorum origine erudite scripsit Isac. Pontanus sæpe nobis memoratus. De iisdem agit Philipp. Cluver. lib. 3. Germ. antiq. cap. 20. Et Reinerus Reineccius in comment. de origine Misenorum.

6. SAXONA. De Saxonibus vid. Cluver. Germ.

M

antiq.

antiqu. l. 3. c. 21. Fabricij orig. Saxon. & apud eundem orationem de origine Saxon. item Isaac. Pont. orig. Francic. l. 2. c. 2. Et Rein. Reinec. in comment. de origine Misensorum.

7. VICTA DEHINC CESSIT. Quod, Ægidij Gelenij iudicio, l. c. de hac nostra *Desenberg* locutus, Lambertus Schaffnaburgensis memoriae prodidit, his verbis ad An. 1070. *Deinceps Rex (Henricus IV.) collecto exercitu egressus, extremam operi manum per se ipsum imposuit. Principes, quos ei (Ottoni) consanguinitate vel alia necessitudine obnoxios noverat, aut acceptis presidibus, aut jure jurando, ne ad eum deficerent, obligavit, castellum Hanenstein, à quo ad primum statim belli terrorem presidium abductum fuerat, funditus everti jussit; alij castello, quod Desenberg dicitur, exercitum jam admovent, sed hi qui intus erant, etsi loci situ inexpugnabiles essent, & copijs omnibus, qua administrando bello necessaria erant, affatim affluerent, ultimo tamen se dedere, quam ancipitem belli fortunam tentare maluerunt.*

8. NVNC IACET INDIGNA. Quæ vastatio An. 1200. contigisse videtur, quando penè primo Pontificatus Anno, Bernardo III. Episcopo Paderbornensi cum Widekindo de Desenberg Abbate Corbejensi gravis intercessit controversia, supra castro Desenberg, & super quibusdam damnis, quæ se Widekindus à Bernardo Episcopo, & maxime ab illius Predecessore sustinuisse dicebat. Quare per arbitros utrimque lectos reconciliati ambo consensere, ut castrum Desenberg pari labore & paribus expensis destrueretur, & ut de cætero mons ille nulli hominum conferretur, neque odij neque dilectionis intuitu, qui presidium vel aliquam munitionem in eo exstrueret, sed terra fieret arabilis &c. Testes hujus rei, Lambertus Prepositus, Tidericus Decanus, Henricus Prepositus Sancti Petri, Tidericus Schola-